



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Rvperti Abbatis Monasterii Tuitiensis, ordinis sancti
Benedicti, Theologi antiqui ac plane clarissimi, in Cantica
Canticorum de incarnatione Domini commentario[rum],
libri VII**

Rupertus <Tuitensis>

[Köln], 1527

VD16 B 3703

Duo ubera tua, sicut duo hi[n]nuli capreæ gemelli, qui pascuntur in lilijs,
donec aspiret dies & inclinentur umbræ.

urn:nbn:de:hbz:466:1-34445

tura fortium, id est, hanc eius tantam humilitatem ceteræ uirtutes consecutæ sunt, maximeque fortitudo & sapientia sicut scriptum est: David sedens in cathedra, sapientissimus ipse est, quasi tenerrimus ligni uermiculus, qui octingentos interfecit impetu uno. O qualis hæc turris, qualia propugnacula? Ex ea mille clypei pendent, omnis armatura fortium, quia propter humilitatē accepit, ut caneret & scriberet uerba fortitudinis, uerba sapientiæ & ueritatis: tam multa, ut mille narius numerus uult intelligi: tam fortia, ut omnibus exinde armatis fortibus nihil falsitatis obistere possit. ¶ Ita collum tuum, imo & ultra quæ turris illa, collum tuum, id est, humilitas tua, quæ sedet uel paret in collo tuo non extento, ædificata est cum propugnaculis, & mille clypei pendent ex ea omnis armatura fortium. Nihil enim deest illic omnium quæ continentur in scripturis ueritatis, & neque inuisibilis diabolus, neque uisibilis homo hæreticus, e contra potuit unquam uel poterit. Adde illud, quod maximum est, quia uerbi, cuius mysterij consecuta est ut caneret humilitas patris tui David, uerbi inquam eiusdem substantiam concepit, & incarnatam peperit humilitas tua, o filia David.

2. Reg. 25

Coll. Ma.

¶ Duo ubera tua, sicut duo hinculi capræ gemelli, qui pascuntur in lilijs, donec aspirerit dies & inclinentur umbræ.

Duo ube.
uirginitas
& fecund.

¶ O ubera uere gratissima atque pulcherrima, duo ubera manu altissimi formata. Hæc sunt uirginitas & fecunditas quarum pulchritudo o in tuis dilecta uberibus castis, uberibus foemineis quæ

RVPER. IN CANT. CANT. CA. III
me lactauerunt, maxime spectanda est. Spectate
amici ubera hæc, imo in uberibus istis duo hæc
uirginitatem atq; fecunditatē. Nonne sunt hæc
sicut duo hinnuli capreæ gemelli? Nunquam ui-
sum est simile huic in motibus siue collibus no-
stris, sed neq; uidebitur in sæculis superuenturis
ut uni capreæ fiant duo tales hinnuli gemelli, ut
uni feminae contingat quatenus eiusdem uberi-
bus & filium lactet & uirgo sit. Aspicite hoc &
admiramini, uidete & congratulamini, quia ca-
prea hæc talis hinnulos ita geminos edidit, quia
femina hæc, dū quasi caprea per montes exiit,
dum celestibus uel supernis animo intendit, ge-
mella hæc plenæ gratiæ dona feliciter apprehen-
dit, ut mater & uirgo sit. ¶ Quid faciemus ge-
mellis istis? Pascuntur, & pascantur in lilijs do-
nec aspiret dies & inclinentur umbræ. i. secreto
custodiantur, in silentio habeantur, nec publice
prædicentur, quod ita sint gemelli, donec resur-
gam a mortuis, quod est aspirare diē, & inclina-
ri umbras mortalitatis. Omnino secreta sunt in
lilijs hæc, id est in illis siue penes illos, quibus in-
est & candor & suavis odor castitatis, qualium
prima fuit, cuius in utero infans ad odorem no-
strum exultauit longe a filiabus illis, quæ sunt
quasi septem dæmonia, septem istis prædicamē-
tis tuæ pulchritudinis, quæ nūc edixi, contraria:
scilicet altitudo oculorum, compesitio capillorū
uoracitas dentium, incontinentia labiorum, irre-
uerentia genarum, colli erectio nimia, subactio-
nis atq; cōfractionis fræuens iniuria. Tempus
erit, quando hæc tua quæ nunc secreta sunt, oportet
prædicari ad gloriam dei: Prius hoc fiet.

Luc. 1.
Lucæ. 8
Septē. ui-
eia.